

H E N R I C I R E G I I  
ULTRAJECTINI,  
D I S S E R T A T I O  
DE  
A N I M I A F F E C T I B U S.

I.  Uandoquidem recta Affectuum animi intelligentia à præcedente actionum humanarum, ac præferunt Animalium, & quidem Cogitativarum, cognitione dependet; brevem harum, alibi à me traditarum, com memorationem istorum explicationi præmittendam censeo.

II. Actiones itaque, quæ ab homine peraguntur, sunt vel naturales, vel animales. Naturales sunt, quæ à solâ partium naturâ, sive eorum temperie & conformatione, perficiuntur. Eæque sunt duas: alitura & generatio. Animales sunt, quæ non tantum à temperie, & partium conformatione; sed etiam ab anima sive mente perficiuntur, vel saltem perfici possunt. Eæque sunt automaticæ, vel cogitativæ. Actiones animales automaticæ sunt, quæ, animâ seu mente ad rem non attendente, per solum quidem organorum animalium, nempè spirituum, nervorum, cerebri, & muscularum, ab objecto interno vel externo agitatorum, motum, ab homine tanquam aliquo automato, aut instar bruti alicujus animalis, peraguntur; sed à mente tamen, si attendat, peragi possunt. Eæque sunt tres: receptio sensus, reminiscientiæ, & imaginationis simplicis; item appetitus sensitivus, nec non motus spontaneus. Actiones animales cogitativæ sunt, quas homo, mente ad rem attendente, peragit. Hæ etiam cogitationes dicuntur, quia mens, in iis peragendis, ab objectis excitata, sese ad eorum attentionem cogat. Cogitationes sunt duas: intellectus & voluntas. Intellectus, est cogitatio, qua res cognoscimus. Eaque duas habet partes: perceptiōnem sensus, reminiscientiæ, & imaginationis perceptivæ; & iudicium per pensionis & decisionis. Voluntas est cogitatio, qua res intellectas.